

a Choro, dicit, quod gratis Evangelium annuntiaverit. 2. Cor. 11. R. N. Conseq. Verè enim gratis ministrant hoc ipso, quod nihil exigunt tamquam ministerii pretium, sed illud tamquam majus omni pretio gratis præstant: ut tamen id gratis præsentent, requirunt necessariam sustentationem a populo. Ad locum Apostoli fateor, cum, qui ministrat sine pretio, & sine stipendio, gratis ministrare: sed inde non sequitur, quod, qui ministrat sine pretio cum stipendio, non gratis ministret, verè sanè gratis ministrat, licet minus perfecte, quam primus.

Dices 2. saltem Clerici divites non videntur posse exigere, aut accipere; siquidem pro titulo accipiendi assignetur a D. Th. & aliis sustentatio necessaria, quam aliunde habent: ergo. R. N. Ant. Ad probationem dico, sustentationem non assignari, ut titulum, aut fundamentum recipiendi temporale, sed tantum ut designetur usus temporalis recepti, & ostendatur non recipi ut pretium Sacri Ministerii, sed quia dignum est, ut qui altari ministrat, de altari vivat. Titulus ergo, & fundamentum accipiendi temporale est ministerium, quod exhibent divites, non secus ac pauperes. Confer, quæ dixi de decimis Dissert. 3. a. 4. §. 4. Conclus. 7.

Instabis. Caus. 1. q. 2. c. Clericos, & caus. 16. q. 1. c. Quoniam sic legitur ex Hieron. Clericos autem illos convenit Ecclesie stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona: qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si, quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusum talium, judicium sibi manducant, & bibunt. In eundem sensum scribit S. Prosper de vita contemplat. relat. caus. 1. cit. ibid. cap. Pastor, & cap. Si quis. R. 1. Nihil hujusmodi reperiri in Scripturis S. Hieronymi, ut notat Glossa in cap. Quoniam cit. R. 2. (Hic q. 185. a. 7. ad 3.) Hæc debere intelligi de tempore gravis necessitatis; vel cum Sylvio de Clericis, qui, cum nondum esset facta partitio bonorum Ecclesiasticorum, in domibus parentum remanebant, nec propria deserebant, & tamen de bonis communibus Ecclesiasticis vivere volebant: unde erant culpandi ob notam avaritiæ, non tamen simoniæ. Idque Sylvium contendit erueri ex verbis Prosperii. Vide, si lubet.

CONSECTARIUM II.

De Sacramento, simoniacè collato in extrema necessitate.

Colliges 2. Non licere etiam in extrema necessitate dare temporale tamquam pretium pro Sacramento administratione, aut pro aliis actibus spiritualibus. Sit casus: Infans mortis proximus non habet, a quo baptizetur, nisi ab improbo Sacerdote, qui non vult conferre Sacramento nisi sub pretio. (Hic a. 2. ad 1.) Certum est quidem, quod in hoc casu infans posset a quocumque baptizari, etiam a muliere, quia hoc ipso quo Sacerdos absque pretio baptizare non vult, idem est, ac si non esset, qui baptizaret. (Ibid. & in 4. d. 5. q. 2. a. 2. sub finem.) Certum est iterum, licere in tali casu emere aquam ab isto Sacerdote; quia aqua non est quid sacram, sed purum elementum; & si sit sanctificata, non operatur ad Baptismum de necessitate ejus existens quasi sanctificata, sed quasi aqua, & ideo non emittit aqua sanctificata, sed aqua. Sed dare pecuniam tamquam pretium Sacramenti, nullatenus licet; quia hoc est aperit simoniacum; nec sunt facienda mala, ut evaniant bona.

Sed utrum possit dari pecunia, ut ille Sacerdos deponat hanc sacrilegam voluntatem, & ad redimendam injustam vexationem? variant Auctores. S. Th. nihil circa hoc habet in Summa loc. cit. sed quibusdam videtur, quod in 4. loc. cit. præferat sententiam negantem affirmativè, his verbis: *Quidam verò dicunt, quod potest pretium dare, quia hoc non est simoniacè committere, sed redimere vexationem suam; sed primum melius videtur.* Verum hallucinantur, qui putant, S. Doctorem his verbis amplecti responsionem negativam questioni factæ. Etenim illud *Primum*, quod S. Doct. hic dicit esse melius, non est, ut existimant isti Auctores, quod non debeat dari pecunia ad redimendam vexationem, sed quod, qui offert puerum, *Debeat potius ipsemet baptizare, quam pretium Sacerdoti pro Baptismo simoniacè dare; item & quod liceat ei emere aquam.* Et hoc indubie melius est, dum fieri potest, quam dare pecuniam: etiam si tunc ad redimendam injustam vexationem. At si ita urgeat necessitas, ut neque offerens sciat baptizare, neque Sacerdos aquam veli vendere, utrum tunc melius sit dimittere infantem mortis proximum

absque Baptismo, quam ipsum baptizare tradita pecunia baptizanti ad redimendam tam injustam vexationem, & non ut pretium Baptismi? hoc non dicit S. Doct. 2. Doctor: imò contrarium innuit, cum & hic, & loco cit. in 4. loquatur de pecunia ut pretio; & secundum principia ejus generalia ad simoniæ requiratur venditio, & emptio, sive temporale datum tamquam pretium. Quapropter cum sententia communi existimo, in hoc casu posse offerri pecuniam ad redimendam injustam vexationem. Et sanè, si juxta S. Doctorem (Hic a. 2. ad 3.) liceat redimere pecunia injustam vexationem in beneficiis, ut dicemus infra, quanto magis in Sacramento tante necessitatis. Item, si liceat minis, & precibus deterreri aliquem a peccato, quidni pecunia?

Imò id etiam licitum videtur adulto, qui aliter baptizari non possit, aut alia Sacramento recipere, excepto Sacramento Ordinis. Quia, quamvis cum Baptismo flammis, & sine aliis Sacramentis absolute salvari possit, difficilius tamèa; ideoque justa illi subest causa negligendi peccatum alterius, redimendo injustam vexationem. Excipio Sacramento Ordinis; quia simoniacè ordinatus, etiamsi per solius ordinatis simoniæ, est suspensus ab executione Ordinis cap. *Ex tua tit. De Simonia.*

Sed quid, si eo impietatis progrediat impubris Minister, ut Sacramento conferre nolit, nisi juret offerens se dare pecuniam ut pretium? Quidam affirmant licere; quia, inquit, jurans non tenetur jurare ad mentem petentis, sed potest uti restrictione mentali. Sed hunc jurandi modum non admittimus: & dato posse admitti, saltem sic jurans profiteretur verbo, & opere, se emere Sacramentum; quod nefas est.

CONSECTARIUM III.

De Simonia in Dispensationibus, & Ordinibus.

Colliges 3. (Hic a. 3. ad 3.) Simoniacum esse dare, vel accipere etiam titulo sustentationis aliquid temporale pro dispensatione in votis, juramentis, impedimentis Matrimonii, & quibusvis legibus Ecclesiasticis. Item pro censuris ferendis, aut etiam absolute, sive Prælati ea per se præsentent, sive vires suas aliis committant; perinde est enim. Ratio est; quia in his omnibus est usus spiritualis potestatis: (Ibid.) ille autem, cui committitur spiritualis potestas, obligatur ex officio ad usum potestatis sibi commissæ, & habet pro sua sustentatione statuta stipendia suæ dignitati annexa ex redditibus Ecclesiasticis. Et ideo, si acciperet aliquid pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare suas operas, quas ex debito suscepti officii jam debet impendere, nec accipere temporale ut stipendium, quod jam aliunde habet, sed ut pretium, & consequenter vendere ipsum spirituales gratias usum, eò maxime quod in dispensationibus, aut censuris, earumve absolute nihil laboris intervenerit, ratione eujus posset percipi stipendium. Unde Trid. sess. 25. c. 18. de Ref. præcipit, dispensationes gratis a quibuscumque esse dandas; aliterque factam dispensationem subreptivam censeri. Id tamen non impedit, quia petentibus dispensationem possit imponi a Superioribus aliquid, erogandum in causas pias per modum multæ, ut sic coarctetur nimia dispensationum postulatio, continentur homines intra communes Leges, & compensetur quodammodo hæc deformitas, sive recessus a communi Lege.

Quod dixi de dispensatione, (Ibid.) idem propter easdem rationes est dicendum de correctione subditorum per Prælatos, aut ejus omissione. Modò tamen omissio correctionis (idem cause de cuiusvis actus spiritualis omissione) ceptatur usus potestatis spiritualis, ut si v. gr. superior muneribus corruptus pronuntiet judicialiter aliquem innocentem, qui esset reverè puniendus; aut reverè poenitentem reconciliare detrectaret. Libr. 5. Decretal. tit. 3. de Simon. c. 14. Alioquin, si foret pura omissio, sic, ut per eam non exerceretur potestas spiritualis, qualis v. gr. est omissio celebrationis Sacri, quamvis dare aliquid pro tali omissione sine justa causa involvat aliquam turpiditatem simoniæ affinem, quatenus tacite insinuat actum, cuius omissio venditur, esse etiam vendibilem; absolute tamèa loquendo non est simoniacum, quia talis omissio pura non est aliquid sacram.

Licet tamèa (Ibid.) Superioribus Ecclesiasticis accipere procuraciones, seu expensas, quando subditos visitant, aut Ecclesias consecrant, non quasi pretium correctionis, aut consecrationis, sed quasi debitum laboribus stipendium. Ita conceditur in jure c. Cum sit Romana 10. De simonia. Et cap. Romani 1. §. Procuraciones. De censibus in 6. & alibi.

Circa collationem Ordinum, Litteras dimissorias, & alia hæc spectantia, nihil aliud occurrit dicendum, quam quod decernit Concil. Trid. sess. 21. De ref. his verbis: *Nihil pro collatione quoruncumque Ordinum, etiam Clericalis voturæ, nec pro Litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro Sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam spontè oblatum, Episcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri, quovis pretextu accipiant. Notarii verò in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis Litteris dimissoriis, aut testimonialibus decemam tantum unius aurei partem (quidam Auctores dicunt esse sex asses) accipere possunt, dimmodo eis ullam salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex notarii commolis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit: tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quoruncumque locorum, quæ potius abusus & corruptelæ simoniacæ præstiti fuerint nuncupari possunt, penitus cassando & interdicendo; & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes ultra divinum ultionem pœnas à Jure inflictas ipso facto incurrant.* Hæc pœna est Excommunicatio, ut patet ex Conc. Braccaren. cap. 3. Quod autem de dantibus dicitur, intellige de iis, qui spontè dant; non de iis, qui post ordinationem dant coacte ad obtinendas Litteras testimoniales; non enim intendit Concilium eos privare suis Litteris testimonialibus.

CONSECTARIUM IV.

De Simonia in ingressu Religiosis.

Colliges 4. (Ibid. ad 4.) Simoniæ esse Juris naturalis dare, seu accipere aliquid tamquam pretium pro statu, seu ingressu Religiosis, non solum ut importat Professionem, sed etiam susceptionem habitus: item & pro iure ad sustentationem. Ratio primæ partis est; quia status Religiosus est verè quid spirituale, utpote continens jus & obligationem Deo servienti sub præscripta Regula. Et ideo in Jure Extravag. 1. De simonia, excommunicantur excommunicatione reservata Papæ dantes, aut accipientes aliquid pro ingressu Religiosis.

Neque refert, Novitium per solam susceptionem habitus nondum hunc statum perfecte acquisivisse; sufficit enim, quod inchoate saltem acquisierit, & quod participet iuribus Monasterii, habetque jus ad professionem, si inveniatur habitus. Insuper fit de Laico Ecclesiasticis, & Ecclesiasticorum privilegiis gaudet, comprehenditurque sub nomine Monachi, Cap. Si quis suadente.

Ratio secundæ partis: quia jus ad sustentationem est annexum statui Religioso, sicut Præbenda in Beneficiis est annexa officio Ecclesiastico; atqui exigere, seu recipere aliquid pro Præbenda, seu jure ad fructus Beneficii, est simoniæ Juris naturalis, ut dicemus infra: ergo. Probatur Major: Licet olim, cum Monachi se seorsim labore manuum sustentarent, non consequerentur ex suo statu jus ad sustentationem, modo tamen, cum Monasteria sunt dotata, aut conferuntur eleemosynæ ad sustentationem fratrum, & auctoritate Ecclesiæ sic sunt instituta, hoc ipso quo quis est talis Monasterii Religiosus, habet jus ad sustentationem, & Monasterium ex justitia tenetur ipsi suppeditare, cum sit pars, seu membrum illius communitatis, quæ illorum bonorum habet dominium, aut saltem liberum usum: ergo. Confirmatur. Cum jus ad sustentationem sit debitum ratione status, qui vendit jus, censetur vendere ipsum statum, ex quo jus provenit, ut dicemus de Beneficiis.

Si tamèa Monasterium (Ibid. & in 4. d. 25. q. 3. a. 2. q. 2. ad 7.) sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas alendas, licet aliquid exigere, aut recipere, non quidem pro iure sustentationis (quod bene nota; hoc enim ubique censeo simoniacum, ut patet ex dictis) sed tantquam conditionem, ut Monasterium aliorum accessu non gravetur; & hoc sensu intellige, quod à D. Thoma & aliis dicitur, licet in hoc casu accipere aliquid pro sustentatione, scilicet pro sustentatione, non præcisè, sed quatenus per eam causatur gravamen. Ratio est; quia sic nihil spirituale, aut spirituale, annexum venditur, aut emittit, sed spirituale gratis concessio, & simul cum eo temporali annexo, nempe jure ad sustentationem, consulitur per dorem indemitati Monasterii & Religiosorum, qui aliquam gravantur a superveniendis; quod æquitate naturalis omnimò consentaneum est. Non enim æquum est, ut Religiosi majorem subeant inopiam causa eorum,

qui putent admitti, quando hi ipsi facile possunt istud incommodum avertere. Nec obstat cap. Quoniam 50. Extra. de Simonia de quo infra; quia ibi agitur de Monasteriis, qui falso pretendebant paupertatem, ut explicat Sylvester, & innotuit in textu. Aliunde dici potest, hæc Jura antiqua in Monasteriis tenuibus per contrariam consuetudinem esse abrogata. Cæterum hæc nostra sententia est communis cum D. Thom. qui eam colligit ex cap. Quam pio caus. 2. q. 2.

Verum, si Monasterium (Ibid. in 4.) sit ita pingue, ut possit sine gravamine recipere supervenientes, videtur simoniacum ex natura rei aliquid accipere, seu exigere pro eorum admissione. Ita cum S. Th. Adrianus, Victoria, S. Antoninus, Sylvius, Pontas, & alii contra plures alios Sylvestrum, Soto, Toletum, &c. Ratio est; quia tunc non apparet, quod temporale exigatur pro sustentatione, quatenus est causativa gravaminis, cum supponatur nullum esse, & Monasterium abundare, sed pro isto statu, aut saltem pro iure ad sustentationem; sicque quod prætextus indemitatis Monasterii sit pretextus fictus & falsus, quo vera simonia palliatur. Sicut, si Capitulum prætextu sustentationis novi Beneficii, aut indemitatis Capituli, exigeret aliquid in ejus admissione. Unde S. Antoninus, 2. p. Summ. Theol. tit. 1. c. 5. §. 18. dicit: *Si Monasterium sit abundans, nullus debet ibi esse Tractatus de temporalibus in receptione; hoc est contra communem abusum, quia, quanto Monasterium est abundantius, tanto voluit & majores dotes. Accedunt Jura: C. Quoniam 40. Extra. de Simonia ex Concil. Lateran. 4. sub Innocentio III. sic legitur: Quoniam simoniaca labe usque adeo plerisque Moniales infecti, ut vix aliquas sine pretio recipiant Sorores, prætextu paupertatis; volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, statuentes ut quocumque de cætero talem commiserint gravitatem, tam recipiens, quam recepta, sive sit si lita sive pralata, sine spe restitutionis, de suo Monasterio expellatur in locum arctioris regule ad agenda perpetuam penitentiam retrudenda... hoc etiam circa Monachos, vel alios regulares decernimus observandum. Item ibidem cap. Veniens 10. & cap. Diluctus 30. & alibi.*

Scio, Sylvestrum v. Simonia §. 15. & alios, non mediocriter notæ Theologos, hos Canones interpretari secundum præsumptionem fori externi; quatenus scilicet ii, qui exigunt, aut accipiunt aliquid, cum Monasterium est pingue, præsumunt accipere pro ipso statu Religioso, non pro sustentatione Religiosi. Sed salva horum Doctorum reverentia, hæc responsio mihi videtur omnimò gratuita. Quare enim Ecclesia præsumeret, temporale exigere simoniacè pro statu spirituali, & non potius pro sustentatione, si hoc ultimum sit licitum? Nullus sanè presumi debet velle agere pessimo modo, quando modus licitus, aut minus malus ipsi suppetit.

Dices 1. Vix, aut ne vix reperitur Monasterium, quantumvis pingue, quod non patitur gravamen aliquod ex receptione gratuita novitiorum: cum enim in Monasteriis bona sint communia, neque certi provenus stipulis sint assignati, sicut in inter Canonicos, accidit, quod opes communitatis respectu singulorum minuantur aliorum ingressu, & consequenter quod minuat facultas accipiendi gratis pauperes apprime idoneos, restaurandi ædificia collabantia, nova sive necessaria, sive saltem utilia construendi, fortuitis necessitatibus subveniendi, &c. ergo. R. Me ultro concedere aliquid posse recipi, quando reverè adsunt memorata gravamina. Sed viderint, qui hæc opponunt, an non fiant gravamina, ubi non sunt, & non potius studeant avaritiæ, quam indemitati Monasteriorum. Nec enim in ea sunt opatione, rata esse Monasteria, in quibus non possint admitti grati novitiis absque prædictis gravaminibus. Quot sunt enim opulentissimi, in quibus nunquam admittuntur gratis pauperes, imò quod sunt opulentiora, eò pinguiores exigunt dotes; maxime inter Moniales? Quot sunt, ubi non minus superflua, quam superba extruuntur ædificia, ubi expense sunt enormes & statum Religiosum minime decentes, in apparatu mensæ, simulorum, equorum, & aliorum mobilium, ubi in dies thesauri coarctantur, & argentur bona, non aucto Religiosorum numero? Quæ porro fido hæc Monasteria dici possunt pati gravamen in admissione gratuita novitiorum, non video: nisi voces gravamen quidquid, aut ambitioni, aut vanitati, aut avaritiæ subtrahatur. Luminant opes respectu singulorum, fateor, at ipsa opum immunitio præcisè secundum se potestote serio censeri gravamen, quando supersunt abundantes, non solum pro necessariis, sed pro commodis & delectabilibus, & pars, que

quæ subtrahitur, deservit usui, ad quem ex natura sua destinatur? Verbo dicam, aut in falso supposito erravit S. Th. aut agnoscenda sunt Monasteria, in quibus possunt recipi novitii absque gravamine.

Dices 2. Sustainatio est quid temporale, & ideo Concil. Trid. ses. 15. c. 16. de Regular. concedit, ut pro sustainatione novitii aliquid recipiatur: ergo. R. D. Ant. sustainatio est quid temporale debitum ratione status, C. indebitum, N. & ideo non potest vendi, nisi censeatur vendi status, ratione cuius debetur. Quantum ad id, quod asseritur de novitiis ex Couil. Trident. R. disparitatem esse, quod novitius non habeat jus ad sustainationem ex bonis Monasterii, sicut habet professus; quia hoc jus acquiritur tantum per professionem.

Inst. ex concessis non est simoniacum accipere aliquid pro sustainatione in Monasterio paupere; atqui sustainatio est ejusdem rationis in Monasterio paupere & in divite: ergo. R. D. Majorem: non est simoniacum accipere aliquid in Monasterio paupere pro sustainatione præcisè, N. pro sustainatione, quatenus est causativa gravaminis, C. unde distinguo Minorem: sustainatio est ejusdem rationis physice in Monasterio paupere & in divite, C. moraliter, N. In illo enim causat gravamen, & non in isto.

Ceterum ad majorem hujus difficultatem elucidationem, & ad occurrendum scrupulis, quædam notanda sunt. Et 1. nullum esse simoniacum in muneribus sponte oblati ab ingredientibus Monasterium, aut eorum parentibus, neque ex parte dantis, neque ex parte recipientis, modo utrumque sit recta intentio. Quia nullo Jure prohibentur istæ ultionæ & liberales donationes, imo Ecclesia eas approbat tanquam legitimas, ut patet ex Regula S. Benedicti c. 59. Unde Concil. Rhemensis celebratum ann. 1583. & confirmatum anno sequenti a Gregorio XIII. cap. 10. de Simoniacis dicit: *Approbatum tamen & laudatum elemosynas, etiam copiosas, ab ingredientibus sponte oblatas.* Dixi: *Modo utrumque sit recta intentio*, hoc est, modo conferens non intendat per hæc munera obtinere ingressum Monasterii, nec Monasterium propter illa concedat. At tamen, & est notandum 2. (*Hic a. 3. ad 4.*) esse licitum aliquem facilius recipere propter devotionem, quam ostendit ad Monasterium faciendo largis elemosynas, quia per hæc devotionem fit aptior ad Monasterium, & ex parte Monasterii est opus gratitudinis. (*Ibid.*) Sicut etiam licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hac devotione inclinatur ad Monasterii ingressum, modo semper caveatur omne pactum pro ingressu Monasterii, ut habetur c. 1. q. 2. c. *Quam pio*. Quia omnino licitum est beneficiis allicere aliquem ad ea, quæ sunt ipsi salutaria.

Potes, quid censendum de convivio fieri solitis in ingressu, seu professione novitorum? R. hæc reverissime prohiberi in Jure, Extravag. 1. de *Simonia*; ubi suspenduntur Conventus, qui hæc exigunt etiam ex consuetudine, quæ dicitur corruptela; & alii, qui dant, excommunicantur. Verum, quamvis consultum foret hos Canones religiose observari, tamen contraria consuetudo in multis locis prævaluit: nec id videtur simoniacum ex natura rei, quia hæc convivio non exigunt nec dantur pro statu spirituali, aut jure ad sustainationem illi annexo, sed tanquam conditio, ut tractentur amici, & propinqui, & recreetur Communitas in his quasi nuptiis spiritualibus.

CONSECTARIUM V.

De Simonia in usu Doctrinæ.

Colliges 5. Simoniacum esse exigere, seu accipere pretium pro usu Theologiæ infusæ, qualis erat in Apostolis, pro Catechismo, Prædicatione, salutaribus consiliis ad pacandas conscientias; quia Theologia divinitus infusa est gratia gratis data: Catechismus verò, Prædicatione, salutaris consilia, non sunt præcisè ad erudiendum intellectum audientis, neque ut res fidei memoria teneantur, sed præcipue & immediatè ordinantur ad salutem, nempe ad fovendam & excitandam fidem, spem, charitatem, penitentiam, & alios actus supernaturales, atque ad consolationem Spiritus S. percipiendam, nec aliam habent (saltem Prædicatione) estimationem inter Christianos: unde censetur res sacræ & spirituales. Licet tamen pro his accipere stipendium sustainationis, ut dictum est supra. Dixi: *Saltem prædicatione*; quia, si fieret Catechismus, aut darentur Resolutiones Theologicæ præcisè ad instructionem intellectus, non videretur quid sacrum, nec illicitum pro illis aliquid pretium accipere.

At verò (*Ibid. a. 3.*) pro usu Theologiæ acquisitæ, qualis est in scholis, scilicet deducendo conclusiones ex principiis fidei, interpretando Scripturas, casus resolvendo &c. licitum est absque simonia exigere & accipere pretium. Idem dic a fortiori de aliis scientiis naturalibus. Ita cum S. Th. Adrianus, Victoria, Cajetanus, Sylvius hic, & alii contra Sylvestrum & Paludanum. Ratio est; quia hujusmodi scientiæ, talisque ejus usus nequè est secundum supernaturalem, sed humano studio acquisita, neque immediatè & per se ordinatur ad gratiam & salutem, sed ad illuminandum intellectum audientis; & si quid supernaturale concurrat, est tantum per accidens, nec illius habetur ratio, ut statim dicam, sed solius laboris & sumptus, quo docens ad illam scientiam pervenit, & laboris, quo illam tradit, item & utilitatis, honoris, oblectationis, quæ ex illa provenire solent, adeoque non est quiddam spirituale, vel spirituali annexum, secundum quod in Simonia definitione intelligitur: ergo.

Dices 1. Theologia versatur circa objecta supernaturalia, & ad eam concurrunt fides supernaturalis principiorum: item ingenerat auditoribus assensum supernaturalem mediante eorum fide: denique dirigit virtutes supernaturales, fidem, spem, charitatem, ut dicitur est de Catechismo & Prædicatione, fidem stabiliorē reddit, & contra Infideles tnetur: ergo est sacra & invendibilis. R. Hæc omnia per accidens concurrere ad usum scholasticum Theologiæ, plura ab eo posse separari, & dùm conjunguntur, non haberi eorum rationem in exigendo pretio. Et 1. quoad objectum, quamvis sit supernaturale, non habetur tamen ratio, utrum cognitio, qua illud attingitur, sit supernaturalis, an non, sed solum quòd labore & industria attingatur. Quantum ad finem potest abesse: ut patet in eo, qui dubitat, aut negat aliquem articulum fidei, si fides supernaturali caret, & quamvis verisimiliter non retineat veri nominis scientiam Theologicam, eam tamen retinet cognitionem, qua eruditè & utiliter docere possit Theologiam pro capacitate auditorum: unde, quando accidit, quòd fides concurrat in usu docendi, non habetur ejus ratio in exigendo pretio, neque quòd hæc scientia fidem defendat, aut virtutes supernaturales dirigat, sicut in Prædicatione aut Catechismo; sed solum quòd intellectum audientis imbuat rerum sublimium & abditarum cognitione, quæ sine labore obtineri nequit, quæque obtenta honorem, comoda, delectationem parit.

Dices 2. cum Sylvestro: docere ex potestate Magisterii est usus potestatis spiritualis supernaturalis: ergo. R. N. Ant. magisterium enim non est potestas supernaturalis; quia vel sumitur pro titulo honorifico in testimonium scientiæ collato, vel pro jure docendi; hæc enim duo importat: quovis modo sumatur est ejusdem rationis cuius est ipsa scientia. Nec refert, quod a summo Pontifice descendat; potestas enim spiritualis Ecclesiæ eminentèr continet potestatem politicam, & ideo ad multa se extendit, quæ sunt ordinis naturalis: sic potestas medicinam exercendi in Sacerdote descendit a potestate spirituali.

Dices 3. Cap. *Prohibeas* tit. de Magistris, prohibetur, ne pro licentia docendi aliquid exigatur: ergo. R. Illic non agi de sola Theologia, sed etiam de Grammatica, Dialectica &c. ideoque nihil particulare contra nos. Item hæc Jura non loquuntur de actu docendi, sed de licentia concedenda ad docendum, quæ multum differunt. Itaque sermo est in laudato Canone de viris Ecclesiasticis, quibus ex officio incumbit præficere magistros idoneos ad docendum, pro qua ideo præfatione, seu concessione nihil possunt accipere absque labe simoniae secundum aliquos, quibus hæc potestas videtur esse spiritualis in viris Ecclesiasticis; aut saltem turpis lucri secundum alios.

Dices 4. c. *Nonnullis* tit. de Magistris permittitur dare Præbendam pro onere docendi Theologiam; atqui dare Præbendam pro eo, quod est pretio estimabile, est simonia: ergo. R. N. Ant. Isto enim Canone tantum disponitur, ut fructus unius Præbendæ applicentur ei, qui sive Grammaticam, sive Theologiam sit docturus; non sic tamen ut ideo efficiatur Canonicus, sed redditus ipsos tantum percipiat, quamdiu docebit. Posset quidem auctoritate Pontificia alicui Præbendæ oneri docendi; quo casu qui Præbendam susciperet, non pro ea locaret operas suas ad docendum, sed res transiret cum onere suo. Privata autem auctoritate non potest collator tale onus Beneficio annectere, multò minus sub illo onere Beneficium conferre.

Si iterum opponas, Theologiam esse donum Dei spirituale, Doctores non secus ac Apostolos dici datos a Deo, & interpretationem recenseri inter dona Spiritus S. 1. Cor. 11. R. Theologiam acquisitam, de qua agimus, non esse donum

num Dei spirituale, sed naturale, sicut alia omnia humana. Apostolum loqui de Doctoribus, qui, sicut Apostoli, habebant scientiam infusam; & similiter de interpretatione sermonum, quæ esset donum supernaturale infusum.

Cæterum, si quis (*Ibid.*) obligaretur ex officio ad docendum, aut ei pro tali labore aliud esset sufficienter provisum, quales erant, qui reprehendebantur Michæ 3. & quales adhuc sunt quidam Beneficarii; is exigendo pretium pro usu scientiæ, aut bis idem venderet, aut certè venderet ipsam veritatem, quæ est invendibilis; unde graviter peccaret.

Ubi advertit, S. Th. non amplius dicere hic, sicut dixerat quodlibet. 8. a. 11. quòd vendere veritatem sit *Simoniacum committere*, sed tantum *Graviter peccare*; quia revera veritas, quamvis ut est in mente divina sit quid supernaturale & increatum, tamen ut est in mente docentis & discantis, non est quid supernaturale & sacrum, neque ex hoc capite est invendibilis; sed quia non cadit sub plenum dominium docentis sic, ut efficaciter illam in alium transferre possit: ea enim vendi non possunt, quorum dominium non habemus, vel non habemus tale, ut ea in alios transferre possimus. Unde S. Doct. vel hic corrigat, aut interpretatur, quod dixerat quodlibet. citato; vel intelligendus est de simonia, latè sumpta pro venditione rei invendibilis.

CONSECTARIUM VI.

De Simonia in redemptione vexationis injustæ.

Colliges 6. (*Art. 2. ad 5.*) eum, qui habet jus acquisitum, sive in re, sive ad rem, certum & liquidum, ad aliquid spirituale, puta Beneficium, & injustè vexatur vexatione, quæ sit certò & absolutè injusta, posse absque simonia per pecuniam, aut aliud temporale redimere hanc injustam vexationem: quia hoc non est dare temporale pro spirituali, ad quod jam supponitur jus habitum & acquisitum, sed pro amotione injusti impedimenti. Non est autem magis simoniacum amovere per pecuniam injustum suo juri nocentium, quam jus ipsum tueri: ergo. Verum hæc assertio indiget multiplici explicatione. Unde

Dixi 1. *Qui injustè vexatur*; quia injustam vexationem pecunia redimere esset emere spirituale, vel jus ad illud, pro quo ei adimendum justè agitur. Unde, si quis electus, aut presentatus repelleretur a confirmatore, vel institutore propter incapacitatem, seu indignitatem, non posset absque simonia hanc vexationem pecunia redimere.

Dixi 2. *Qui habet jus sive in re, sive ad rem*. Jus ad rem v. gr. in materia beneficii habet, qui est electus, vel presentatus, vel postulat, sed nondum confirmatus, vel institutus; jus in re, qui est confirmatus, vel institutus, licet nondum sit in possessione. De utroque autem loquitur S. Th. (*Ib.*) & non solum, ut quidam volunt, de jure in re. Patet ex ipso textu: *Antequam*, inquit, *alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esset pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spirituales obtinendam: sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removeret*. Ubi evidens est, S. Doctorem loqui in hac ultima propositione de eodem jure, de quo in prima, nempe de jure acquisito per electionem, vel provisionem, &c. jus autem acquisitum per electionem est tantum jus ad rem.

Est tamen quedam distinctio ponenda inter utrumque jus. Qui enim habet jus in re, a quocumque & quomodocumque injustè vexatur, sive ut cadat a possessione jam obtenta, sive ut eam non obtineat, potest hanc injustam vexationem pecunia redimere: quia, cum jus integrum habeat, in quo consistit spiritualitas Beneficii, non dat temporale pro spirituali, quod jam habet, sed tantum pro amotione impedimenti. Si dicas, pecuniam dari ab eo, qui nondum est in possessione, ut obtineatur, hanc autem possessionem videri spirituales. R. Possessionem secundum se non esse quid spirituale, cum in facto tantum consistat: sed, quòd sit spiritualis habet ex titulo, vi cuius capitur, quem titulum cum ille jam teneat, accedente nova possessione, non accedit nova ratio spiritualis, sed possessio ipsa secundum se indifferens sit spiritualis ex conjunctione cum titulo, unde non dat pretium pro spirituali.

Qui verò habet tantum jus ad rem, si vexatur injustè ab his, qui prodesse possunt, ut si electus, aut presentatus repellatur ex odio, vel aliter injustè a confirmatore, seu institutore, non potest absque simonia redimere pecunia hanc vexationem, quia dare pecuniam pro amotione talis injuriæ

est dare pecuniam pro confirmatione, vel institutione, cum hæc injuria tolli non possit nisi per confirmationem, vel institutionem; negatio enim non tollitur nisi per affirmationem, quæ in proposito est confirmatio, seu institutio. Et quamvis quidam non improbabiliè opinentur, hanc simoniam non necessario esse Juris naturalis; quia, inquit, posset aliquis pecuniam dare confirmatori, aut institutori præcisè ad removendum ejus odium, quo remoto, is postea non ex positiva obligatione, seu ex pacto date pecunie, sed ex naturali dictamine moveatur ad confirmandum, instituentium, &c. nihilominus fatentur habere magnam præsumptionem simoniae, & esse revera simoniam saltem Juris positivi. Argumento ducto ex cap. *Sicut tuis* Extrà.

De simonia.

Quod si is vexetur injustè ab his, qui prodesse non possunt, seu etiam ab his, qui prodesse possunt, sed non nocent in eis, in quibus prodesse possunt, ut si collator, institutor, aut a fortiori quicumque alius, qui nullum habeat jus, illum captivum detineat, illum diffamet, vi, aut fraude a confirmatione, institutione, &c. obtinenda impediatur, potest absque simonia labe hanc injustam vexationem pecunia redimere. Quia hoc non est jus spirituale emere, sed jam habitum tueri; neque est parare sibi directè & proprie per temporale viam ad spirituale; quo sensu intelligendus est S. Th. supra citatus, ut statim dicam, sed indirectè tantum & remotè; quatenus est amotio injusti impedimenti ad jus habitum prosequendum, & propulsio nocentium illati famæ, libertati, &c. ad quæ jus habet.

Dices cap. *Matth. 23. Extrà. De Simonia*, declaratur simoniacus, qui electus a majori parte Capituli, paucis contradicentibus, consenserat, quòd uni contradicentium daretur pecunia, ut contradicentio cessaret; atqui ille habebat jus ad rem per electionem: ergo. R. D. Minorem: ille habet jus certum & liquidum, N. Jus incertum & infirmum, C. Pauci enim electores etiam post electionem factam jure poterant proponere, & indubie habebant exceptiones proponendas, vel contra ipsam electionem, vel contra eligentes, vel contra electum, quæ debuissent examinari; sicque jus non erat certum & liquidum, nec consequenter vexatio certò & aperte injusta: nostra autem resolutio est de vexatione certò & aperte injusta, ut dixi, & dicam modo.

Sed quid, si is, qui vexatur injustè, nullum habeat jus acquisitum nisi fortè remotum, consistens puta in dignitate, omnis enim dignus habet jus remotum ad Beneficia, potestne pecunia redimere hanc injustam vexationem? R. ut supra sub distinctione: si injustè vexatur ab his, qui prodesse possunt, & in quo prodesse possunt, ut si elector, aut collator in eo molestus sit, quòd hunc ex odio, vel aliter injustè nolit eligere, vel presentare, non licet hanc injustam vexationem pecunia redimere, quia ut dicebam modo, hoc esset emere electionem, collationem, &c.

Si vero vexatur ab his, qui prodesse non possunt, sive etiam ab his, qui prodesse possunt, sed non nocent in eis, in quibus prodesse possunt, ut si elector detineat eum captivum, ne cum aliis comparet, si ipsum diffamet, si vi, fraude alios Electores corrumpat &c. cum Soto, Sylvio, Lessio, & aliis probabilius puto licere hanc injustam vexationem pecunia redimere, modo absit scandalum; quia per eam pecuniam nihil sibi spirituale acquirit, neque ullum jus ad illud, sed tantum redimit injustam vexationem, quam patitur in fama, corpore, libertate, ad quæ habet jus. Quod etiam licitum reputat Sylvius cum aliis, si inique impediatur a consecutione Beneficii per injustitiam improprè dictam puta per munera, blanditias, preces importunas apud Electorem, Collatorem, &c. Quia, licet ista vexatio non sit hoc sensu injusta, quòd sit contra justitiam, est tamen hoc sensu injusta, quòd sit contra charitatem: cessatio autem a nocimento, quòd est contra charitatem, non est quid magis spirituale, quam cessatio a nocimento, quòd est contra justitiam.

Verum contra hanc Sententiam statim occurrit Textus D. Th. supra citatus, ubi accusat simoniam eum, qui antequam habeat jus acquisitum, injustam vexationem pecunia redimit. R. cum eodem Sylvio, S. Thom. loqui de injusta vexatione illorum, qui prodesse possunt & vexant in eo, in quo prodesse possunt, sic ut per remotionem hujus vexationis directè, proprie & immediatè sternatur via ad Beneficium. Addit enim pro ratione S. Doct., quia per pecuniam pararet sibi viam ad rem spirituales obtinendam. Quòd intelligi debet de via directa ad rem spirituales, ut modo dicam. Vel dicendum est, S. Doctorem loqui secundum præsumptionem fori exterioris, in quo facilè præsumitur velle emere Beneficium, qui antequam

quàm ullum jus in illud habeat, offert pecuniam, licet revera offerat tantum, ut injusta impedimenta removeantur, & sic coram Deo non sit verè simoniacus.

Inst. Salmem ille per pecuniam parat sibi viam ad rem spirituales; quod juxta laudatum textum D. Thom. est simoniacum. R. Illam non magis sibi parare viam per pecuniam ad spirituale, quam qui habens jus acquisitum redimit injustam vexationem, quod tamèn est licitum secundum D. Thom. Itaque distinguo: per pecuniam sibi parat viam indirectè, improprie, & mediàtè ad rem spirituales, C. Directè, proprie & immediatè, N. Directè enim, proprie, & immediatè tendit ad removenda iniqua nocumenta; quibus remotis sequitur ex alia causa obtentio rei spiritualis. Certum est autem, S. Th. loqui de eo solo, qui directè & proprie per temporale parat sibi viam ad spirituale, alias sibi in multis contradiceret. Numquid enim docet S. Doctor, (*Hic a. 3. ad 2.*) licere absquè simonia dare pecuniam pro suffragiis orationum, pro Missis, pro Prædicatione, pro Processionibus, pro aliis Officiis Ecclesiasticis; (*Ibid. ad 4.*) itèm licere per temporalia Beneficia provocare aliquem ad devotionem Monasterii, ut ex hoc inclinetur in ingressum Monasterii, & plura similia; & tamèn hi omnes parant sibi viam indirectè & improprie ad spiritualia per temporalia.

Dices contra ultimam partem præcedentis resolutionis, de vexatione per injusitiam improprie dictam. Cessatio a muneribus, blanditiis, precibus importunis, &c. non est æstimabilis nisi ratione Beneficii, sicut labor intrinsecus in administratione Sacramentorum non est æstimabilis nisi ratione Sacramenti: ergo non est licitum dare pro illo aliquid temporale. R. Cessationem a muneribus &c. respectu habentis jus non etiàm habere aliam æstimabilitatem, quam habeat respectu non habentis jus; & tamèn respectu habentis jus licitum est illam pecunia emere. Dicendum ergo, hanc cessationem non esse æstimabilem ratione Beneficii nisi remotè, proximè autem ratione spei conceptæ de bona voluntate, seu benevolentia collatoris, si extrinsecus non impediatur. Unde, sicut qui daret pecuniam economo Episcopi, ut admitteretur in ejus familia eo fine, ut innotescat Episcopo, & inde caperet ejus benevolentiam, & ex captata benevolentia obtineat Beneficium, non diceretur meo iudicio emere Beneficium, nec per pecuniam sibi parare directè & proximè viam ad illud; sic in nostro casu, & eo maxime quod per hoc non magis inclinetur voluntas collatoris ad dandum Beneficium, quam esset per se inclinata, remotis impedimentis.

Dixi 3. Vexatione, que sit certè & aperte injusta; quia si sit dubia injustitia, ex eo quod jus non sit certum & liquidum, pecunia redimere talem vexationem esset redimere juris incertitudinem, adeoque ipsum jus aliqua ex parte emere: si autem alia ratione dubia sit injustitia vexationis, eam pecunia redimere in tali dubio esset se exponere periculo emendi spirituale; seu jus ad illud, pro quo adimendo, seu impediendo forsitan jure agitur, ut dicebam in primo notamine ad consecrarium. Ex quo sequitur, quod, quando Beneficium jure utrimque probabili est litigiosum, unus litigantium non possit sine simonia Juris divini dare pecuniam, seu solvere expensas litis eo fine, ut alter cedat juri suo. Et idè Alexander III. c. *Supèr eo 7.* Extrà. *De transactionibus*, dicit: *Supèr eo quod quaesivisti, utrum de Ecclesiastico Beneficio in litigium deducto possit fieri transactio, tale responsum datus, quod transigi super re sacra & litigiosa non potest. Etenim res sacra ut possideantur aliquo dato vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simoniae. Addit tamèn Pontifex: Alias, si gratis & amicabiliter inter se litigantes componant, sacris Canonibus nequaquam dicimus obviare.* Et Innocentius III. c. 21. Extrà. *De Præbendis*, circa duos litigantes pro Prioratu, qui in Judices, seu arbitros compromiserant, sic statuit: *Quod ergo post concertationem diutnam ordinatam est circa unum de duobus electis, ut ipse habeat Prioratum, hoc ex jurisdictione secundum justitiam videtur esse statutum; quod autem ordinatum est circa reliquum, ut ipse viginti libras de redditibus Capituli, & quadraginta de proventus Prioratus percipiat annuatim; hoc secundum providentiam intelligitur esse præceptum ex arbitraria potestate, cum in delegatos fuerit compromissum, qui auctoritatem sibi retinendo commissam se pro bono pacis & utilitatis hoc ordinasse fatentur. Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus est recepta, possuntque licitè Prior & Capitulum de proventus suis propter causas predictas, non quidem ex pactione partium, sed ex jussione iudicum, provisionem hujusmodi exhibere: nos eam, hoc addito moderamine, toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum, non dignitas Prioratus,*

sed persona Prioris maneat ordinata; ne forte circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus; ità quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur.

Ex quibus intelligimus, partes litigantes non posse auctoritate privata inter se transigere, posse tamèn amicabiliter inter se componere: itèm posse compromittere in Judices, seu arbitros, qui vel simpliciter assignent Beneficium uni, qui potiori jure nisi videtur, vel ita ut teneatur alteri solvere pensionem, seu aliquid aliud, non quidem pro compensatione juris, quod cedit, hoc enim foret simonia Juris divini, ut dicebam suprà, sed vel in compensationem laborum & expensarum in lite, vel in ejus sustentationem, vel pro bono pacis, quod est Ecclesiæ & transigentis utile, ideòque pretio æstimabile; sic tamèn ut possessor Beneficii ipsam non dimittat sine auctoritate superioris, quia id jure prohibetur. Et, si his dumtaxat titulis, non ullatenus pro cessione, aut compensatione juris, transigerent inter se litigantes auctoritate privata, non video secundum hæc Jura, quòd foret simonia plusquam Juris Ecclesiastici. Est autem transactio de re dubia & controversa, non gratuita pacio. Amicabilis compositio e contra est gratuita ut si una pars spontè & gratuito cedat juri suo.

Nota, quod, cum transactio sit contractus reciprocus & quædam species commutationis, omnis transactio, in qua pro spirituali datur temporale, aut e contra, sit simoniaca jure naturali, ut jam non semel notavi. Transactio autem in materia rerum spiritualium, ubi spirituale pro spirituali, seu temporale pro temporali commutatur, non prohibetur etiàm jure positivo fieri privata auctoritate, nisi in materia beneficii cap. *Supèr eo cit.* & alibi: ita ut in aliis materiis licitè fiat; v. gr. si controversia oriatur inter Prælatos de jurisdictione spirituali, possunt privata auctoritate transactionem facere dividendo loca, & actus jurisdictionis.

Petes 1. utrum injustè vexanti, ne consequaris Beneficium, liceat tibi absquè simonia procurare aliud Beneficium, ut ab injusta vexatione desistas? R. affirmative cum Sylvio hic a. 2. quia non das spirituale pro temporali, sed procuras alteri spirituale, ut ipse possit etiàm aliud spirituale consequi: secus tamèn, si intenderes te a temporalibus damnis indemnem reddere; quia tunc spirituale cum temporali commutatur. Utrum verò injustè vexato in temporalibus liceat redimere hanc injustam vexationem per collationem rei spiritualis, puta Beneficii? diximus art. 4. sub finem.

Petes 2. utrum volentibus eligere indignum ad Beneficium, seu dignitatem Ecclesiasticam, liceat offerre pretium, ne illum eligant? R. affirmative; qui Ecclesia habet jus, ne ipsi constituatur minister indignus, ideòque est redimere injustam vexationem Ecclesie factam. Aliud non electio non est quid spirituale.

Petes 3. utrum volentibus eligere indignum liceat offerre pecuniam, ut eligant dignum in genere, aut etiàm hunc dignum in particulari, casu quo solus sit dignus. R. hoc non licere intendendo positivè & directè electionem digni in genere, aut hujus solius digni in particulari, quia hoc esset directè comparare spirituale per temporale; licere tamèn intendendo positivè & directè non electionem indigni, ex quo sequitur electio digni in genere, vel hujus digni in particulari, si solus sit dignus; hoc ipso enim quo volunt eligere, si non eligant indignum, necesse est, ut eligant dignum in genere, aut hunc in particulari, si solus sit dignus; hoc autem est indirectè tantum parare viam ad spirituale per temporale; directè autem est vexationis injustæ redemptio.

ARTICULUS VI.

De Simonia circa annexa spiritualibus.

Nota, (*Hic a. 4.*) aliquid posse esse annexum spiritualibus multipliciter. Uno modo consequenter, sic ut a spiritualibus dependeat, ipsaque præsupponat, sicut habere beneficium Ecclesiasticum, dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium Clericale. Unde hujusmodi nullo modo esse possunt sine spiritualibus. 2. (*Ibid.*) Quædam sunt annexa spiritualibus antecedenter, in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut jus patronatus, quod ordinatur ad presentandum Clericos, ad Ecclesiastica Beneficia, & vasa sacra, que ordinantur ad Sacramentorum usum: undè hujusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt. 3. Modo aliquid potest dici annexum spirituali con-

DE RELIGIONE &c.

comitanter, ut labor, qui in Sacramentorum, vel aliorum actuum spiritualium administratione suscipitur. His notatis,

§. I. De Simonia circa annexa spiritualibus antecedenter.

Dico 1. (*Ibid. & ad 1.*) Quæ sunt annexa spiritualibus antecedenter sic, ut independentè ab ordine, quem habent ad spiritualia, sint per se æstimabilia ratione materice, possunt absolute vendi, & emi, modò ipse ordo ad spiritualia non appetitur: quia totum, quod hic venditur, aut emitur, est merè temporale. Hujus generis sunt Vasa sacra, Ornamenta, Ecclesia, Terra ad sepulturam, &c. (*Ibid. ad 2.*) Notandum tamèn, quòd, si ad usus profanos vendantur, præmissa oratione prius debeant confringi, aut lacerari.

Hinc sequitur 1. (*Ibid. ad 3.*) non peccasse Abraham, dum emit ab Ephron speluncam duplicem in sepulturam, quia dato quòd locus iste fuisset sacer, quod tamèn non est verisimile, Abraham non intendebat emere nisi terram communem: sicut licet emere materiam vasorum sacrorum, aut terram, in qua est, aut fuit Ecclesia. Nunc verò accipere, aut dare aliquid pro sepultura etiam ratione terræ, in qua sita est, prohibetur in Jure, Extrà. *de Sepulchris c. 13.* Et ibidem *de Simonia c. 41.* Itèm pro actu religioso sepeliendi, ut exerceatur a Clericis, nihil potest accipi pretium; quia est quid spirituale: potest tamèn aliquid recipi ut stipendium. Aut verò jus sepulchri in posterum, tali vel tali loco pro se, & suis potest emi; quia est quid temporale, nec ullibi in Jure prohibetur, cum nomine sepulture non veniat jus sepulchri. Itèm licet exigere aliquid ab his, qui in Ecclesia, vel loco honorarii sepeliri volunt, non ratione sepulture præcisè (quia, ut dictum est, id a Jure prohibetur) sed ratione honoris, qui vel defuncto, vel ejus familia accrescit ex honorario loco sepulture. Equum est enim, ut, qui in Ecclesia honorarium locum obtinent, magis ejus utilitati, & fabricæ contribuant.

Sequitur 2. Jacob non fuisse simoniacum emendo ab Esau jus primogenitura: quia, licet forte illi annexum esset Sacerdotium (de quo sub dubio loquitur S. Th. hic q. 87. art. 1. ad 3.) id saltem erat secundariò tantum. Licet enim primariò primogenitura erat quid temporale, scilicet jus præminentie inter fratres, Genes. 27. & 29. Et jus ad duplicem portionem honorum, Deut. 21. Ità ut jus ad Sacerdotium censeretur illi annexum eo ferè modo, quo jus patronatus est annexum alicui fundo. Undè Jacob poterat illud emere secundum quod erat in eo primarium, quocum transit secundarium.

Indè, dato, primogenituram importasse primariò jus ad Sacerdotium, nihilominus excusatur Jacob, (*Ibid.*) quia revelatione facta matri, jus primogeniturae sibi deberi ex divina electione. Undè nihil propriè emi, sed quod sumum erat, & ab alio tantum detinebatur, vindicavit. Quod autem dixerit: *Vende mihi*, impropria locutio est, ita ut sensus sit: *Trade mihi.*

Esau tamèn peccavit, (*Ibid.*) & merito reprehenditur ab Apostolo ut profanus, & carnalis ad Hebr. 12. quòd propter vilem escam vendiderit tam singulare privilegium, cui annexa erant, non solum quæ diximus, sed etiam jus ad singularem benedictionem Patris, Gen. 27. & satis probabiliter Sacerdotium.

Dico 2. (*Ibid. ad 1.*) Quæ sunt antecedenter annexa spiritualibus sic, ut independentè ab ordine, quem dicunt ad spiritualia, non sint, moraliter loquendo, æstimabilia, non possunt absolute vendi, & emi, cum non possent vendi nisi ratione æstimabilitatis, venderentur ratione ordinis quem habent ad spiritualia, & consequenter ratione spiritualitatis. Hujus generis sunt presentationes, electiones, &c. ad Beneficia; itèm jus Patronatus: hoc autem, licet per se vendi non possit, ob rationem datam, nec in feudum dari, transit tamèn cum fundo qui venditur, & hoc sensu dixit S. Th. posse aliquo modo vendi.

§. II. De Simonia circa annexa spiritualibus concomitanter.

Quæstio est de labore, qui in administratione Sacramentorum, vel aliis actibus spiritualibus reperitur. Est duplex: unus intrinsecus, qui ipsi administrationi est necessariò annexus, qualis est labor in ipso actu baptizandi, celebrandi, &c. Alter extrinsecus, qui per accidens Sacramenti administrationi est annexus, ut celebrare in dissito loco.

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Dico 1. Licetum est aliquid accipere etiam ut pretium pro labore extrinsecò; quia iste labor est aliquid temporale, pretio æstimabile secundum se seorsim a re spirituali, nec ei sine annexum, ut ipso venditò censeatur vendi res spiritualis. Est communis. Similiter licet aliquid accipere tamquam pretium pro obligatione celebrandi v. gr. tali tempore, tali hora, toties in hebdomada, &c. quia talis obligatio est onerosa, & pretio æstimabilis seorsim a re spirituali. Insuper obligatio ad opus est distincta ab ipso opere: undè, licet in mutuo non liceat aliquid accipere pro mutuo, licet tamèn pro obligatione mutuandi. Cæterum cavendum, ne vel iste labor, vel ista obligatio pluris æstimetur, quia est ad actionem sacram; sic enim foret simonia, quia sub illo respectu non est pretio æstimabilis, sed tantum proit includit onera corporalia.

Dico 2. Pro labore intrinsecò licet aliquid accipere ut stipendium, quandoquidem id liceat pro ipso actu, ut dictum est: at nullatenus licet aliquid accipere ut pretium. Quidam probant hanc 2. partem conclusionis ex eo, quòd labor non sit per se æstimabilis, sed ratione operis, & opus ratione commodi inde sequentis: opus autem, & commodum in casu, utpotè spiritualia, non sunt appetibilia, nec vendibilia. Verùm ista ratio non videtur sufficiens. 1. Si labor non sit æstimabilis nisi ratione operis, nec opus nisi ratione commodi, tota æstimatio petitur a commodo, commodum autem est idem laboris intrinseci, & extrinseci, undè sequeretur, quòd nec pro labore extrinsecò liceret aliquid pretium accipere. 2. Quamvis labor intrinsecus, qui provenit ex parte persona, quæ vel est debilis, vel inasuetata tali operi, &c. non sit secundum se æstimabilis, nec augeat valorem operis; labor tamèn intrinsecus ex parte ipsius operis, qui nempe ipsi intrinsecò modo, & ex natura rei conjungitur, quique attendi debet per comparationem ad ordinariam hominum conditionem, est secundum se æstimabilis, & augeat valorem operis, licet non sit adæquata illius ratio; est enim quid temporale, cujus dominium est in laborante; & idè in operibus corporalibus per se loquendo æstimatur, & vendi censeatur, ut patet ex communi hominum æstimazione, qui eò majus pretium exigunt, quòd gravior est operis labor.

Alièr ergo, & sic prob. conclusio. Quamvis labor intrinsecus ex parte operis, de quo loquimur, sit verè ratione sui appetibilis, & conducat ad valorem operis, non est tamèn appetibilis seorsim ab opere, sed, ut ita dicam, in ipso opere, quatenus illud reddit plus, vel minus æstimabile; adeò ut opus, & labor non sint æstimabilia duplici pretio, sed uno & eodem, vel nullo: neque est distinguendum in presenti casu inter opus, & laborem, cum hæc duo in ipsis operibus corporalibus non distinguuntur quoad valorem, nec distinctis prætiis æstimantur, sed totum illud sit unum opus talibus conditionibus affectum quòd omnibus spectatis tali pretio communiter æstimatur. Undè fit, quòd, si opus non sit pretio æstimabile, quale est opus spirituale, labor extrinsecus, non reddit ipsum plus, vel minus æstimabile, & consequenter ipse non poterit pretio æstimari; quia ut dictum est, non est æstimabile seorsim ab opere, sed in ipso opere, quatenus illud reddit plus, vel minus æstimabile.

Res paritate clarescit; sit v. gr. herba, quæ specialem habeat virtutem; ratione hujus virtutis tali, vel tali pretio æstimabitur, & tamèn ipsa virtus non æstimabitur distincto pretio ab herba; & si contingeret esse herbam, quæ ratione suæ substantiæ esset pretio inæstimabilis, & invendibilis, non posset pretio æstimari, aut vendi ratione illius virtutis, quia virtus herbe sine herba, nec æstimatur, nec venditur. Quandò ergo actio ipsa, & commodum inde sequens non sunt appetibilia, ita nec labor actioni intrinsecus; sic autem est in casu conclusionis. Uno verbo: labor intrinsecus cum ipsa actione: ergo, ubi actio est invendibilis, ut in nostro casu, ita & labor. Undè habet hic locum hæc regula Paschalis Papæ in c. *Si quis objecerit*, l. q. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.*

Dices 1. Labor iste, quantumvis intrinsecus, est quid temporale pretio æstimabile non minus, quam labor extrinsecus actioni corporali, qui plus, vel minus æstimatur secundum quòd major, vel minor est. Etenim est incommodum, quòd patitur Minister, quatenus pro alterius utilitate fatigat corpus, & se privat libertate vacandi aliis exercitiis, ex quibus lucrum ipsi accresceret: undè etiam solus laboris intrinseci intuitu plus datur concionanti duobus horis, quam una, plus cantanti Missam, quam legendi, plus concionem habenti, quam Sacrificium offerenti,

licet istud sit concione dignius: ergo. R. N. Ant. Quia ut dixi, cum labor intrinsecus non sit pretio aestimabilis seorsim ab opere, sed in ipso opere, & eodem pretio, sequitur, quod, si opus non sit appreciabile, ut est opus spirituale, ita nec ipse labor; secus in operibus profanis, quae sunt appreciabilia. Ad exempla, quae opponuntur, fateor attendi posse in spiritualibus magnitudinem laboris, non tamen ut apprecietur, & ipsi assignetur pretium ad aequalitatem, sed ut majus stipendium conferatur. Congruum est enim, ut, qui plus laboris ponit, plus stipendii reportet, juxta illud Apost. 1. Timoth. 5. *Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.*

Inst. Labor iste non est magis intrinsecus actioni spirituali, quam aurum sit intrinsecus calici consecrato; atqui hoc aurum vendi potest: ergo. R. Disparitatem esse, quod aurum, & consecratio sint duae res distinctae, & separabiles, & quod aurum independentem a consecratione, & seorsim ab ipsa remaneat pretio aestimabile, non sic labor intrinsecus administrationi Sacramentorum.

Dices 2. Num. 18. Decimae vocantur Pretium pro ministerio Tabernaculi. Et 1. ad Timoth. dicitur operarius dignus mercede sua: ergo. R. Tot Pretium, & Tot Merces illic sumi late, pro stipendio sustentationis debito sanctis laboribus; non pro eo, quod est aequalis valoris cum re, quae datur. (Lect. 3. in 1. ad Timoth. 5.)

§. III. De Simonia circa annexa spiritualibus consequentibus, hoc est, circa Beneficia.

SECTIO PRIMA.

Presupponenda.

Quid, & quotuplex sit Beneficium? quot modis acquiritur, & amittitur? quid jus Patronatus? quid pensio?

Dico 1. Beneficium Ecclesiasticum communiter definitur: *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae ratione spiritualis officii, auctoritate Ecclesiastica fundatum.* Unde est duplex jus in Beneficio; unum ad officium spirituale, & aliud ex primo consequens ad temporales fructus. Hoc jus secundum primario, & directe importatur in definitione Beneficii, ut patet, & est proprie Beneficium, unde communiter dicitur, *Beneficium propter officium*: Ex Concil. Constant. Sess. 43. decreto *De dispensationibus*. Patet etiam ex ultimis particulis definitionis, quod illa officia, v. gr. Capellaniam castrorum, quae a nobilibus Laicis fundantur in perpetuum auctoritate propria non Ecclesiastica, non esse Beneficia.

Dico 2. Beneficium aliud est saeculare, quod Clericis Saecularibus competit; aliud regulare, quod Regularibus additum est. Saeculare non potest regulariter absque dispensatione Papae conferri Regularibus, neque vice versa regulare Saecularibus. Colligitur ex tit. *De Praebendis* in 6. cap. *Super eo*. Porro omne Beneficium censetur saeculare, nisi probetur regulare. Probantur autem ex litteris fundationis, vel ex continua possessione 40. annorum. Ita Layman post Navarrum, Azorium, & alios.

Item Beneficium aliud est simplex, aliud duplex. Simplex est illud, quod neque specialem preeminentiam, vel jurisdictionem, vel administrationem habet, v. gr. Canonicatus, Capellania, &c. Duplex est illud, quod aliquod illorum habet. Item Beneficium aliud Titulare, quod nempe in titulum perpetuum conferitur, sic ut sine gravi causa Beneficiarius eo privari non possit, sive per legem, sive per Judicis sententiam. Hujusmodi sunt plerumque omnia saecularia Beneficia. Aliud manuale, quod in titulum quidem conferitur, sed revocabiliter ad nutum, vel Praelati, vel Patroni. Hujus generis sunt Beneficia Regularia, ut officia Prioratus sub Abbate, Sacristiae, Thesaurarii, &c. & alia, quae non sunt curata, aut electiva. Imo curata, quae pleno jure subsunt Monasterio, sunt etiam manualia.

Nec obstat, quod Beneficium dicatur jus perpetuum; illa enim, quae dicimus manualia, licet auferri possint, id non habent ex sua institutione, sed ex hoc quod illi, qui illa obtinent, subjiciantur absolute quoad officia, habitationem, & totam vitae rationem suo Superiori magis, quam Clericis Saecularibus Papae. Alii dicunt, Beneficia esse perpetua, non quod non possint auferri, sed quia instituta sunt, ut semper durent, utque, dum auferuntur uni, alteri transferantur: non sic pensiones, quae extinguuntur morte Pensionarii.

Dico 3. Beneficia sex modis acquiruntur. 1. *Presentatio-*

ne Patroni, & institutione sequuta. 2. *Electione*, & confirmatione sequuta. 3. *Postulatione*, & confirmatione sequuta. 4. *Collatione libera*. 5. *Permutatione*. 6. *Resignatione* in favorem cum collatione sequuta.

Presentatio fieri potest ab uno, nempe Patrono: Electio fit a pluribus, puta Capitulo. Utraque dat jus ad rem. Postulatio est illius, qui eligi non poterat, vel quia non erat de Capitulo, vel quia Jure non erat capax: non dat jus ad rem. Institutio supponit presentationem, confirmatio electionem: utraque, scilicet tam Institutio, quam Confirmatio, est vera Beneficii Collatio conferens jus in re, & ideo debet fieri per Ecclesiasticos. Collatio libera est, quando Beneficium solo jure Praelati confertur, nec subest juri patronatus.

Resignatio est spontanea proprii Beneficii demissio coram legitimo Superiore, scilicet Papa, aut Episcopo, vel Praelato inferiore, cujus est Beneficii collatio, id acceptantem. Est duplex: *Pura*, quae fit absque omni pacto, seu conditione: & *Conditio-nalis*, quae fit sub certa conditione. Et haec iterum duplex: Una, quae fit causa permutationis: Altera, quae fit in favorem tertii; & haec iterum alia simplex, quae fit absque ulla reservatione: alia *qualificata*, quae fit reservato sibi jure regressus, vel pensione, vel aliquibus fructibus. Resignatio pura, & ea, quae fit causa permutationis simplicis, possunt fieri coram Ordinario, vel Collatore Ecclesiastico, qui habet Jurisdictionem quasi Episcopalem, aut cui consuetudo praescripta tale jus contulit. Ita ex Jure. Resignatio autem in favorem, & a fortiori si sit qualificata, non potest fieri nisi inter manus SS. Pontificis. Ita fert stylus Curiae Romanae, qui facit Jus. Si resignans sit infirmus debet supervivere viginti dies a die resignationis, alias Beneficium censetur vacare per obitum, & non per resignationem. Ita fert Regula Cancellariae. Resignatio debet publicari in loco beneficii intra sex menses a die supplicationis oblatae, si fiat in Curia Romana. Intra mensem vero, si fiat extra Curiam Romanam. Alioquin, si hoc tempore elapso contingat resignantem mori, antequam resignatarius ceperit possessionem, censetur Beneficium vacare per obitum, & collatio facta erit nulla. Ita fert Regula Cancellariae. Beneficium resignatum in favorem, aut permutatum, non potest conferri nisi resignato, aut alteri permutantium, quia nemo, etiam Papa, potest auferre jus meum me invito. Intelligit sine causa rationali.

Dico 4. Beneficia amittuntur triplici modo. 1. Per Sententiam Judicis. 2. Per Resignationem. 3. Ex dispositione Juris. Et hoc quadrupliciter. 1. Per consecrationem alterius Beneficii incompatibilis. 2. Per validum matrimonium. 3. Per Professionem Religiosam. 4. Propter crimen, cui annexa est poena amissionis Beneficii, quale est Haeresis, Schisma, frequens Sodomia: item, si quis obtinet Parochialem Ecclesiam non ordinatur Sacerdos intra annum; & alia plura de quibus vide Lessium lib. 2. c. 34. dub. 34. Advertendum autem, quod in his casibus criminis non possit impetrari Beneficium tanquam vacans, nisi prius crimen probetur, & Judicis Sententia feratur quia, inquit idem Lessius, Jura non sunt cum majori rigore recepta. Advertendum insuper, ratione absentiae non vacare Beneficium ipso jure, sed requiri Sententiam, quae absens prius ter citatus, & intra sex menses non comparens, privetur.

Dico 5. Jus Patronatus, de quo hic agitur, quod etiam dicitur jus advocacionis, est potestas presentandi aliquem ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Dico, vacans: alioquin foret irrita presentatio, quia ut dicitur cap. *Nulla. De concessione Praebendae*, hoc praebet occasionem captandae mortis proximi. Tribus modis ex dispositione Juris acquiritur Jus Patronatus, dotatione, vel edificatione Ecclesiae, vel concessione fundi, ut in eo Ecclesia edificetur juxta hunc versum: *Patronum faciunt dos, edificatio, fundus*. Acquiritur etiam concessione Papae, & multipliciter presentacionibus, quod excedat memoriam hominum.

Jus Patronatus est duplex; Ecclesiasticum, & Laicum. Ecclesiasticum dicitur, non quod Ecclesiasticus possidet (is enim potest etiam Patronatum Laicum possidere), sed quod competit alicui, vel ex eo quod ex bonis Ecclesiasticis fundavit, aut edificavit, aut dotavit Ecclesiam; vel quod habetur ratione alicujus dignitatis Ecclesiasticae. Laicum est, quod quis habet ex eo, quod de bonis saecularibus fundavit, aut dotavit, aut edificavit Ecclesiam, seu Beneficium erexit. Nota, quod, si Patronatus Laicus donatione, aut alio modo transferatur in Ecclesiam, seu Capitulum, aut Monasterium, vel annectatur alicui Beneficio, seu dignitati Ecclesiasticae, fiat Ecclesiasticus. Colligitur

ex Jure §. ultimo, *de Jure Patronatus* in 6. Nota insuper, quod Patronus Laicus teneatur facere presentacionem intra quatuor menses a Beneficii vacantia; Ecclesiasticus intra sex menses: alias Episcopus potest providere. Ita ex Jure.

Dico 5. Pensio est jus percipiendi al quos fructus ex Beneficio alieno, non quidem titulo Beneficii, quod non habet Pensionarius, sed titulo Officii ipsi impositi, aut concessioni ipsi factae a Superiore. Duplex est: una *Laicalis*, quae datur Laicis, aut etiam indifferenter Laicis, & Clericis, sed propter aliquod ministerium temporale praestitum, vel praestandum, ut quae datur Oeconomo, Aedituo, Medico, Organista, Principi ob navatum, vel navandam operam in defensionem Ecclesiae. *Clericalis*, quae datur Clericis qua Clericis, hoc est, sub titulo, & qualitate Clericali: & est duplex, una quae datur ob ministerium spirituale, ut quae datur coadjutori Episcopi, aut Parochi, concionatori, &c. & dicitur *Spiritualis*. Altera, quae datur Clerico, quia tali quidem, sed non titulo ministerii spiritualis, ut quae datur Pastori semi ad sustentationem, resignanti permutanti, cedenti lite, &c. & dicitur *Mista*. Haec pensio debet esse sic moderata, ut relinquatur Beneficiario, quod satis est ad ejus honestam sustentationem saltem comprehensivam distributionibus: unde suo obtinuit, ut non excedat tertiam partem fructuum. Potest tamen Papa pinguiores creare ex justa causa.

Eadem ferme conditiones requiruntur ad obtinendam, & possidendam pensionem, quae requiruntur pro Beneficio & potissimum quod subest justa causa alia a resignatione, quippe quae debet fieri gratis. Papa enim, cujus solius nunc est creare pensiones, non est dominus honorum Ecclesiasticorum, sed Oeconomus, & Dispensator. Quapropter debet ex justis causis ea dispensare. Causae sufficientes juxta declarationem Cleri Gallicani 1598. sunt tres: 1. Compositio litis ad bonum pacis, & utilitatem Ecclesiae. 2. Compensatio minoris Beneficii permutati, quod non sufficit ad honestam sustentationem permutantis. 3. Indigentia resignantis. Potest addi quarta, scilicet labor susceptus in utilitatem Ecclesiae; hoc enim solo fore titulo conferuntur pensiones Laicales. Non ergo se titos credant in conscientia, qui sine legitima causa pensiones habent, etiam a SS. Pontifice.

Pensio extinguitur 1. Morte Pensionarii. 2. Ejus Matrimonio, aut Professione Religiosa. 3. Renunciazione etiam absque licentia Superioris. 4. Redemptione. Quamvis olim habens pensionem Clericalem ad nullas preces teneretur, nunc Jure novo ex Bulla Pii V. saltem ubi est recepta, tenetur quoad ad Officium Marianum: quod si omittat, non facit fructus suos, & tenetur ad restitutionem; non secus ac qui possidens Beneficium omittit Breviarium, prout ibidem statuitur.

SECTIO II.

Utrum Beneficia, secundum quod est in eis temporalia, possint vendi?

Nota, tria in Beneficio posse spectari, jus ad officium spirituale, jus ad temporales fructus, & fructus ipsos. Certum est 1. Jus ad officium spirituale esse Jure naturae omnino in vendibile; quia est spirituale. Certum est 2. Fructus utroque Jure naturali, & positivo esse vendibiles, quia sunt merè temporales. Certum est 3. Jus percipiendi fructus temporales propter officium spirituale quod jus est proprie Beneficium, esse Jure positivo in vendibile. Id patet ex variis locis Juris, & maxime ex his verbis Paschalis Papae C. 1. q. 3. c. *Si quis ebejerit*; *Quisquis horum alteram veniat, sine quo nec alterum proventu (id est valet), neutrum in venditum relinquit. Nullus ergo emat Ecclesiam, vel Praebendam, vel aliquid Ecclesiasticum.* Quapropter tota controversia ad hoc devolvitur, utrum id etiam sit illicitum Jure naturae, ita ut nihil hic valeat dispensatio Pontificia: negant plerumque Canonistae: affirmant communiter Theologi, cum quibus

Dico (*Elle a. 4. o.*) Vendere, vel emere Beneficium quoad jus percipiendi fructus temporales est simonia Juris naturalis. Prob. (*Ibid.*) Jus ad temporales fructus in Beneficio est ita essentialiter annexum titulo, seu juri spirituali ad Ecclesiasticum officium, ut sine isto nec esse, nec aestimari, imò nec concipi possit, salva manente natura Beneficii. Si enim sit, aut concipias jus ad temporales fructus sine jure ad spirituale munus, non est, nec concipis Beneficium, ut patet ex ejus definitione, ita ut tota ratio juris ad temporales fructus sit ipsum jus ad spirituale munus: ergo

vendi non potest jus ad temporale, nisi spirituale intelligatur venditioni subiecti.

Dices 1. cum Canonistis: Jus ad temporales fructus est quid temporale: ergo. R. D. Ant. Est quid temporale aestimabile independentem a spirituali, in quo fundatur, N. Ant. dependentem, C. Solutio patet ex probatione.

Repones: Fructus Beneficii possunt vendi, aut locari etiam pro toto tempore vitae Beneficiarii; atqui tunc emptor, seu locatarius acquirit jus ad illos fructus: ergo. R. D. Minorem: Locatarius acquirit jus primum fundatum in officio spirituali, quale habet Beneficiarius, N. Minorem. Jus aliud secundarium, fundatum in emptione, seu locatione, C. Minorem, & N. Conseq.

Dices 2. Jus Patronatus annexum fundo transit cum fundo vendito: similiter consecratio cum calice, dum venditur calix; atqui non est simonia vendere fundum, aut calicem: ergo similiter. R. N. Conseq. Disparitas est: quod tam fundus, quam calix possint per se ratione suae materiae aestimari independentem, vel a jure Patronatus, vel a consecratione; non sic jus ad temporales fructus in Beneficio, quod nullum est absque titulo spirituali.

Dices 3. SS. Pontifex potest separare jus ad fructus temporales a titulo spirituali: ergo tunc saltem licet tale jus emere. R. D. Ant. SS. Pontifex potest, &c. destruendo naturam Beneficii, C. salva manente natura Beneficii, N. Est enim essentialiter Beneficium, ut dictum est, jus percipiendi fructus temporales propter officium spirituale. Unde neque, cui conferretur tale jus ad spiritualia sine temporalibus, neque cui conferretur spirituale sine temporalibus, foret vere Beneficiarius.

Dices 4. dum SS. Pontifex creat pensionem super aliquod Beneficium, quod frequenter fit, & licite, salva manet Beneficii natura, siquidem non separat totum temporale, sed partem tantum, quam alteri assignat solvendam a Beneficiario; atqui videtur in hoc casu dare Beneficium propter illam pensionem, quod est vendere Beneficium: *Si enim*, inquit S. Thom. (*Ibid. ad 3.*) *ab eo, cui Beneficium confertur (Episcopus), requiratur aliquid sibi exhiberi de fructibus illius Beneficii, idem est, ac si aliquid munus ab eo exigeret*: ergo. R. N. Minorem. Dum enim creatur pensio super aliquod Beneficium, non datur Beneficium propter pensionem, sed sic datur Beneficium, ut prius ex eo detrahatur propter legitimam causam aliqua portio fructuum quotannis solvenda ei, cui assignata est, unde Beneficium datur, non cum plenis fructibus, quod licet docet S. Thom. loco citato; in verbis autem, quae obijciuntur, loquitur S. Doctor (*Ibid.*) in casu, quo collator absque alia causa, quam collationis Beneficii, sibi ipsi in actuali collatione reservaret partem fructuum, quod esset conferre Beneficium propter istud emolumentum, proindeque propter munus, quod est simoniacum, Vide Cabasium l. 5. c. 3. n. 20. & 21.

SECTIO III.

In quibus casibus resignatio, vel permutatio Beneficiorum sit simoniaca.

Dico 1. Resignatio in favorem facta coram Ordinario non videtur simoniaca, quia non datur temporale pro spirituali, & e contra; sed resignans dumtaxat indicat se resignare, si collator velit conferre Petro, v. gr. & non resignare, si nolit; est tamen illicita ex stylo Curiae Romanae. Debet ergo fieri talis resignatio inter manus solius Papae, nisi forte Praelatus inferior ex privilegio, vel consuetudine praescripta habeat jus tales resignationes admittendi.

Dico 2. Resignatio reciproca, facta coram alio, quam Papa, est simoniaca saltem Jure positivo humano: ut si resignem meum Beneficium Joanni cum pacto, ut ipse resignet suum meo amico. Item resignatio triangularis, & quadrangularis, ut resignem meum Beneficium Petro, ut Petrus resignet suum Joanni, & Joannes suum Paulo. Ratio est; quia, dato quod in his non detur temporale pro spirituali, intervenit tamen pactum obligans ad id, quod Jure non inest, & tale pactum prohibetur a Jure ut simoniacum cap. *Tua nos*, & alibi, ut dixi art. 2. vide. Erit tamen licita, si fiat coram SS. Pontifice, qui ex plenitudine potestatis dissipat omnem simoniam Juris humani.

Dico 3. Resignare, vel procurare alicui Beneficium cum pacto, ut illud idem tibi, vel alteri in posterum resignet, vel fructus, aut pensio ex eo tibi alteri solvatur, est simonia Juris naturalis, quae dicitur confidentialis, pe-